e-codices

Quibus modis datus sit spiritus sanctus. In signo visibili. Sciendum quod in igne ut calefaceret frigidos, et in linguis ut doceret ignaros, et in sono ut terreret rebelles. Apparuit etiam in aliis tribus signis, scilicet in nube ipsi Moysi ut ductor in columpna esset nubis, sicut legitur Ysa. lxiii. Item in columba super Christum baptizatum ad ostendendam gratie plenitudinem que in ipso erat. Item in flatu post resurrectionem ad signandum vivificationem affectus, quia flatus ab interiori procedit. Datus est etiam spiritus sanctus bis post resurrectionem, scilicet in terra propter dilectionem proximi, et de celo propter dilectionem dei. Vel datur in terra ad relaxanda peccata aliorum. Jo. xix. Insufflavit in eos et dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis etc. Datur etiam de celo in pentecoste ad robur et ad operationem miraculorum. De hiis duobus ps.: Verbo domini celi firmati sunt quo ad primum, et spiritu oris eius quo ad secundum. Tertia fuit collatio apostolis facta spiritus sancti ante passionem quando fuerunt baptizati, eorum enim baptismus innuitur ibi: Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. In signum predictorum trium ter inungitur homo ad signandum triplicem inunctionem spiritus sancti in baptismo, in confirmatione, in morte. Quadruplicem effectum consecuti sunt apostoli ex presentia spiritus sancti: primo eloquentiam in linguis, secundo audaciam in tormentis, tertio efficaciam in miraculis, quarto perfectionem in actibus, quia post pentecosten numquam peccaverunt mortaliter. Accipiunt etiam spiritum sanctum peccatores quidem ad purgandum. Matth. iii: Ipse baptizabit vos in spiritu sancto et igne. Item penitentes ad proficiendum. Ps.: Spiritus tuus deducet me. Item perfecti ad edificandum. Ro.: Qui dedit nobis pignus. Item boni ad fruendum. Ps.: Renuit consolari anima. Item tribulati ad consolandum. Ro.: Non accepistis spiritum servitutis in timore sed accepistis etc. Item ignorantes ad instruendum. Jo.: Paraclitus autem spiritus etc.

Quo tempore datus sit spiritus sanctus. Attendendum est quod in die l ut ostendatur auctor esse remissionis [nam annus iubeleus serviebat remissioni]. Venit etiam in die dominica ut esset dies renovationis que fuit et creationis. Datus quoque fuit hora tertia, quia dicitur primus homo in hora tertia perdidisse gratiam. Unde conveniens fuit quod eadem hora apostolis mitteretur. Item alia ratione datus est hora iii, scilicet ut ostendatur [quia etiam nobis hora iii gratia dei datur]; sunt enim tres hore morales, scilicet contritio, confessio et satisfactio.

De hoc nomine spiritus sanctus. Sciendum quod potest esse circumlocutio unius proprii nominis, et tunc convenit tantum tertie persone in trinitate. Vel possunt ille due dictiones sumi divisim, et sic quelibet trium personarum est spiritus sanctus. Spiritus habet multa nomina. Dicitur enim spiritus sanctus aspirando active eo quod spiret. Jo.: Spiritus ubi vult spirat. Et hunc modum habet nomen spiritus commune est omnibus tribus personis, sed spiritui sancto convenit per appropriationem. Alio modo dicitur spiritus sanctus aspirando [passive] eo quod spiretur, et hoc modo proprium est spiritui sancto qui procedit per modum spirationis. Non solum autem dicitur spiritus sed additur sanctus, quia sanctus idem est quod mundus vel firmus vel sine terra. Ista non solum conveniunt ei quo ad se sed in cooperatione quo ad nos. Nam per gratiam spiritus sancti mundamur, in bono firmamur, a terrenis separamur. Sanctus quoque non solum in se sed quia nos sanctos facit ea sanctitate de qua dicit Dyonisius: Sanctitas est ab omni inmunditia libera et perfecta et omnino inmaculata munditia. Preterea spiritus sanctus vocatur nexus, unitas et amplexus, et hoc prout comparatur ad patrem et filium. Item dicitur donum dei altissimi, et hoc prout comparatur ad nos, quia omne datum optimum etc. Item dicitur fons vivus [qui] septemplici rivo donorum nobis fluit. Item dicitur ignis quia affectum accendit. Item dicitur caritas non solum quia est amor patris et filii sed quia nos amantes facit. Item dicitur spiritualis unctio quia omnes tribulationes mundanas suaves facit et iocundas. [illegible] In labore requies, in estu temperies etc. Item dicitur dextere dei digitus, quia sicut res corporales digito demonstrantur, ita per spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali. Item dicitur paraclitus quia consolationes celestes mentibus instillat. Item dicitur magister optimus quia intellectum ad cognitionem dei et sui ipsius illuminat.

License: CC-BY-NC – Aarau, Aargauer Kantonsbibliothek, MsWettF 15, f. f.%206r – Hugo Argentinensis; Guilelmus Rothwell (http://www.e-codices.ch/en/kba/WettF0015/f.%206r)